

Bijlage VWO
2013

tijdvak 1

Latijn

Tekstboekje

Tekst 1

Seneca geeft de keizer advies.

1 Hoc quam verum sit, admonere te exemplo domestico volo. Divus
2 Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu suo aestimare
3 incipiat; in communi quidem republica gladium movit. Cum hoc aetatis
4 esset, quod tu nunc es, duodevicesimum egressus annum, iam pugiones
5 in sinum amicorum absconderat, iam insidiis M. Antonii consulis latus
6 petierat, iam fuerat collega proscriptionis. Sed cum annum
7 quadragesimum transisset et in Gallia moraretur, delatum est ad eum
8 indicium L. Cinnam, stolidi ingenii virum, insidias ei struere; dictum est,
9 et ubi et quando et quemadmodum adgredi vellet; unus ex consciis
10 deferebat. Constituit se ab eo vindicare et consilium amicorum advocari
11 iussit. Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adulescentem nobilem, hoc
12 detracto integrum, Cn. Pompei nepotem, damnandum; iam se unum
13 hominem occidere non posse, cum M. Antonio proscriptionis edictum
14 inter cenam dictasset. Gemens subinde voces varias emittebat et inter se
15 contrarias: "Quid ergo? Ego percussorem meum securum ambulare patiar
16 me sollicito? Ergo non dabit poenas, qui tot civilibus bellis frustra petitem
17 caput, tot navalibus, tot pedestribus proeliis incolume, postquam terra
18 marique pax parata est, non occidere constituat, sed immolare?" (Nam
19 sacrificantem placuerat adoriri.) Rursus silentio interposito maiore multo
20 voce sibi quam Cinnae irascebatur: "Quid vivis, si perire te tam multorum
21 interest? Quis finis erit suppliciorum? Quis sanguinis? Ego sum nobilem
22 adolescentulis expositum caput in quod mucrones acuunt; non est tanti
23 vita, si, ut ego non peream, tam multa perdenda sunt." Interpellavit
24 tandem illum Livia uxor et: "Admittis" inquit "muliebre consilium? Fac,
25 quod medici solent, qui ubi usitata remedia non procedunt, temptant
26 contraria. Severitate nihil adhuc profecisti; Salvidienum Lepidus secutus
27 est, Lepidum Murena, Murenam Caepio, Caepionem Egnatius, ut alios
28 taceam, quos tantum ausos pudet. Nunc tempta, quomodo tibi cedat
29 clementia; ignosce L. Cinnae. Deprensus est; iam nocere tibi non potest,
30 prodesse famae tuae potest." Gavisus sibi quod advocatum invenerat,
31 uxori quidem gratias egit, renuntiari autem extemplo amicis, quos in
32 consilium rogaverat, imperavit et Cinnam unum ad se accessit dimissisque

33 omnibus e cubiculo cum alteram Cinnae poni cathedram iussisset "Hoc"
34 inquit "primum a te peto, ne me loquentem interpelles, ne medio sermone
35 meo proclames; dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinna, cum
36 in hostium castris invenissem, non factum tantum mihi inimicum sed
37 natum, servavi, patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix et tam
38 dives es ut victo victores invideant. Sacerdotium tibi petenti praeteritis
39 compluribus, quorum parentes mecum militaverant, dedi; cum sic de te
40 meruerim, occidere me constituisti." Cum ad hanc vocem exclamasset
41 procul hanc ab se abesse dementiam: "Non praestas" inquit "fidem, Cinna;
42 convenerat ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras"; adiecit
43 locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et
44 cum defixum videret nec ex conventionem iam sed ex conscientia tacentem:
45 "Quo" inquit "hoc animo facis? Ut ipse sis princeps? Male mehercules cum
46 populo Romano agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat.
47 Domum tueri tuam non potes, nuper libertini hominis gratia in privato
48 iudicio superatus es; adeo nihil facilius potes quam contra Caesarem
49 advocare. Cedo, si spes tuas solus impedio, Paulusne te et Fabius Maximus
50 et Cossi et Servilii ferent tantumque agmen nobilium non inania nomina
51 praeferebant, sed eorum qui imaginibus suis decori sint?"
52 Ne totam eius orationem repetendo magnam partem voluminis occupem
53 (diutius enim quam duabus horis locutum esse constat, cum hanc poenam
54 qua sola erat contentus futurus, extenderet), "Vitam" inquit "tibi, Cinna,
55 iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die
56 inter nos amicitia incipiat; contendamus, utrum ego meliore fide tibi
57 vitam dederim an tu debeas." Post hoc detulit ultro consulatum questus
58 quod non auderet petere. Amicissimum fidelissimumque habuit, heres
59 solus illi fuit. Nullis amplius insidiis ab ullo petitus est.

Seneca, De Clementia 1, 9

Tekst 2

Omgaan met gevaren

SENECA LVCILIO SVO SALVTEM

1 Quid ista circumspicis quae tibi possunt fortasse evenire sed possunt et
2 non evenire? Incendium dico, ruinam, alia quae nobis incidunt, non
3 insidiantur: illa potius vide, illa vita quae nos observant, quae captant.
4 Rari sunt casus, etiamsi graves, naufragium facere, vehiculo everti: ab
5 homine homini cotidianum periculum. Adversus hoc te expedi, hoc
6 intentis oculis intuere; nullum est malum frequentius, nullum pertinacius,
7 nullum blandius. Tempestas minatur antequam surgat, crepant aedificia
8 antequam corruant, praenuntiat fumus incendium: subita est ex homine
9 perniciēs et eo diligentius tegitur quo propius accedit. Erras si istorum tibi
10 qui occurrunt vultibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum,
11 nisi quod illarum perniciosus est primus incursus: quos transiere non
12 quaerunt. Numquam enim illas ad nocendum nisi necessitas incitat; aut
13 fame aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet. Tu
14 tamen ita cogita quod ex homine periculum sit ut cogites quod sit hominis
15 officium; alterum intuere ne laedaris, alterum ne laedas. Commodis
16 omnium laeteris, movearis incommodis, et memineris quae praestare
17 debeas, quae cavere. Sic vivendo quid consequaris? Non te ne noceant, sed
18 ne fallant. Quantum potes autem in philosophiam recede: illa te sinu suo
19 proteget, in huius sacrario eris aut tutus aut tutior. Non arietant inter se
20 nisi in eadem ambulantes via. Ipsam autem philosophiam non debebis
21 iactare; multis fuit periculi causa insolenter tractata et contumaciter: tibi
22 vitia detrahat, non aliis exprobet. Non abhorreat a publicis moribus nec
23 hoc agat ut quidquid non facit damnare videatur. Licet sapere sine pompa,
24 sine invidia. Vale.

Seneca, Epistula ad Lucilium 103

Tekst 3

Veel mensen klagen dat het leven te kort is. In onderstaande tekst betoogt Seneca dat je tevreden moet zijn met de duur van je leven.

1 Quis sine querella moritur? Quis extremo die dicere audeat: "Vixi et quem
2 dederat cursum fortuna peregi"? Quis non recusans, quis non gemens
3 exit? Atqui hoc ingrati est: non esse contentum praeterito tempore.
4 Semper pauci dies erunt, si illos numeraveris. Cogita non esse summum
5 bonum in tempore. Quantumcumque est, boni consules. Ut prorogetur tibi
6 dies mortis, nihil proficitur ad felicitatem, quoniam mora non fit beatior
7 vita, sed longior. Quanto satius est gratum adversus perceptas voluptates
8 non aliorum annos computare, sed suos benigne aestimare et in lucro
9 ponere! "Hoc me dignum iudicavit deus, hoc satis est. Potuit plus, sed hoc
10 quoque beneficium est." Grati simus adversus deos, grati adversus
11 homines, grati adversus eos, qui aliquid nobis praestiterunt.

Seneca, De Beneficiis 5, 17, 5-7

Aantekeningen

- regel 1-2 **quem t/m peregi** Lees: **peregi cursum, quem fortuna dederat**
- regel 3 **exeo** sterven
ingrati kenmerkend voor een ondankbaar mens
- regel 4-5 **est in + ablativus** het hangt af van
- regel 5 **Quantumcumque est, boni consules** Hoe kort die tijd ook is, wees er tevreden mee
Ut + coniunctivus ook al
- regel 6 **proficio** toevoegen
quoniam omdat
mora ablativus
- regel 7 **Quanto satius est gratum adversus + accusativus** Hoeveel beter is het om vol dankbaarheid wegens
- regel 8 **suos** Vul aan: **annos**
- regel 8-9 **in lucro pono** als winst beschouwen
- regel 9 **Potuit** Hij had kunnen geven
- regel 10 en **adversus + accusativus** tegenover
- regel 11